

*Assertio 2.
negans pa-
riter de
copia ad-
ductorum.*

Dico secundò. Mancipiorum copiam à Mer-

catoribus, qui ea ex Africa regionibus asportant, non est licitum emere in Indis, & Europâ. Hoc etiam ex dictis constat.

Dico tertio: neque unum aut alterum manci-
pium licet emere ex eisdem, stante suspicione, ob
fundamenta dicta. Sic Nauarra num. 215. citat-
us cum Mercado, & ratio est clara; quia de uno,
& altero an sit iusto titulo emptus, ignoratur, si-
cut de copia asportatorum.

Dico quartò. Generaliter loquendo & iuxta
principia dicta, non licere emere huiusmodi manci-
pia, etiam plures dominos habuerint. Proba-
tur: quia ex multiplicatione dominorum non
melioratur titulus seruitus; contra libertatem
siquidem non est præscriptio, vt habetur com-
muni iure præscriptum. L. Finali. C. de præscriptio-
ne longi temporis. Cum tamen è contrario manci-
pium possit contra seruitum præscribere spatio
viginum annorum, si adsit bona fides, etiamsi desit
titulus coloratus, vt confit ex L. 2. vnde su-
peras & communiter tradunt scriptores, & vt be-
nè Mercatus Citato Cap. 15. ex infecta origine
non potest aqua lana procedere. Videantur di-
ta num. 183.

*Contra li-
beritatem
non pre-
scribit, se-
cū autem
contra ser-
uitutem.*

Dico quintò. Emptio dicta in Indiis, & Europa iustificari potest aliqualiter. Primo: quia Doctores aliqui, sicut eorum quidam incon-
sequenter ad suam ipsorum doctrinam, eam non
esse aperte dannabilem affirmant, immo & illi
fauent, vt P. Molina, P. Rebellus videndus n. 4.
P. Palau, P. Fragosus, P. Fagundez. Et alij. Se-
condò: quia ita est communi praxi receptum, quæ
omnes status complectuntur: Episcopos, Religio-
fios, sine ullo in hac parte scrupulo procedentes.
Tertiò: quia Rex non solum permittit, sed & ipse
emit, & vendit, cuius exemplum sequi integrum
est vasallis, cum in eo debeant iustitia exempla-
ria prælucere. Quartò: quia Episcopi contra fu-
rantes mancipia excommunications fulminant
ad dominorum instantiam; eorum ius certum
reputantes. Quintò, quia cum mancipia ista vi-
deantur ad seruendum natâ, vt multi expen-
dunt, non videant circa illa eodem, quo circa a-
lios, exatissimo iure agendum, sed minore titu-
lo, dummodo aliquis non penitus inugrosimilis
apparet, emptores debere esse contentos. Sextò:
quia pro Indiis adeò sunt necessarij, vt sine illis
flare Respublica ista nequeat. Cum ergo vilissimi
isti inter homines sint, dispensari cum aliquo re-
quisito iurius potest, ne Indica regiones,
quarum coniuratio res Christiana agitur, ab
eo cadent statu, qui adeò necessarius comproba-
tur. Tandem: quia asportatio eorum in Indias
nequit impedi, quia ad eam permittendam, immo &
autorisandam, Reges nostri urgentes
habent rationes. Cum ergo asportandi sint, ne-
queunt sine magno periculo in suâ libertate re-
linqui, & ita conuenienter seruituti addicuntur.
Quam quidem illi, licet in assiduo labore sint,
non ægre patiuntur, sed inter laborandum tri-
pudiare solent, dummodo de aliomentis prou-
deatur, & dies habeant à laboribus feriatos.

*Disputata
superius
quo ian-*

205 Quæ ergo à nobis pro iniustitia nego-
tiationis huius ostendendâ non leuiter disputata,

& stabilita lunt, erunt pauci qui practicè com-
pleteantur, ultimæ huic Assertioni libentius in-
harentes; vnde & videri possunt illa superuacue
constituta. Sed certè pro veritate pugnasse, &
agonizasse pro iustitia, vt Scriptura loquitur,
non poterit, vt credo, rectè sentientibus non pro-
bari. Sic enim & in scriptorum multis est cerne-
re, quos pro eiusdem causa defensione militan-
tes allegamus. Quin etiam, qui à nobis dicta
deseruire præterea poterunt, vt mancipiorum
istorum domini humani cum ipsis agant, scien-
tes ius dominij, quod in ipsis se habere existi-
mant, esse adeò dubium, vt opus sit in re ista, ne
lumen veritatis obsistat, clausis ferè oculis ambu-
lare. Adaperiat illos utram Deus, quos auaritia
excoecare solet, crudelis Erynnis, in iis, qui, &
emunt prius dura passos, postmodum duriora.
De quique hæc satis.

§. IX.

De contractu hydromelici potus apud Indias visitato.

206 D E illo non immeritò dubitatum an sit
licitus; quia Indi, & Nigri eo nimium
quantum vtuntur, eò quid & lapidum ipsis, &
sapidum ipsis, & vili præterea pretio constat, si
cum vini pretio componatur. Est tamen Indis
noxium, quia calidioris illi naturæ feruido hoc
haustu cum frequentibus morborum periculis
incalcent. Vtique autem ebrietatem inducit,
cuius esse solent exitus infelices, cœdibus perpe-
tratis; quid si minora damna; talia tamen, quæ
non sine sanguine soleant frequentari: & occur-
rendum quidem talibus, sublata malorum occa-
sione, & iustitia in Magistratibus, & charitas in
omnibus videntur postulare. Accedit ad do-
ctrinam fidei, de qua cum istis agitur, recipien-
dam, magnum hoc videri obstaculum, de quo
Concilium Limensem 3. Actione 2. Cap. 20. Ex quo
multorum doctrina de licita venditione rerum
indifferentium videatur infirmari, quando respe-
ctu poculi istius, ratio specialis ex aduerso est; ob-
staculum inquam fidei in regionibus istis penitus
propulsandum: quia summa est ratio, quæ pro reli-
gione facit, vt iura clamant, & dictum non semel.
Quod si ratione illius in multis dispensatur, &
privilegia extendi possunt, vt est multorum do-
ctrina, multo potius id agendum, aut omittendu-
m est, in quo nullâ est opus dispensatione, sed
cum omni stare lege potest, & præcipue cum
charitate, & iustitia constare. Hinc verba illa
D. Pauli Corint. 8. vers. 8. & seqq. Neque enim si 1. Cor. 8.
manducauerimus abundabimus, neque si non mandu-
cauerimus, deficitus, videat autem ne fore hac seqq.
scientia vestra offendiculum fiat infirmo. Et peribit in
tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est
sic autem peccantes in fratres, & percutientes con-
scientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Qua-
proper si ea scandalizat fratrem meum, non man-
ducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scan-
dalizem. Nullus autem frater ita videatur infirmus
vt Indus, aut Niger ad ebrietatem maximè pro-
clives, neque aduersus illam fidei constantia ro-
borati.

207 Dico

dem fru-
tu, siame
ultima re-
solutione.

*Assertio 1.
probabile
valde esse
non licere.*

207 Dico primò. Valde probabile est non
licere huius poculi venditionem, non solum eo
quod non licet res indifferentes abusuris ven-
dere, qui tales verosimiliter præudentur, quæ
est sententia eorum, quos adducit Diana Parte
1. Tractat. 8. Resolut. 41. & aliis locis de quibus
suprà Titulo 1. numer. 144. sed ob rationes nuper
adductas. Præterea, quia doctores venditio-
nem rerum indifferentium approbantes, quando
abusus præuidetur, proportionatam caußam
venditionis requirant, vt videri potest apud Dia-
nam, qui eosdem adducit: id quod specialiter
inculcat P. Thomas Sancius. Non videtur autem
qualis esse caussa proportionata in præsenti
queat: & sola afferri potest utilitas venditionis,
est enim magna. Atqui si hæc ratio valeret, sem-
per venditio indifferentium esset licita, semper
enim ex venditione utilitas prouenit, & ex con-
tinuatione illius non potest non esse magna pro
vendentium conditione; & præterea frequenta
peccata, & damnâ alia, de quibus nuper, cum
impedimento fidei, adeò magna sunt mala, vt
utilitas dicta non videatur cum illis habere pro-
portionem. Damna enim ingentia sunt, non
ita temporaria utilites, & deinde illa spiritua-
lia, temporalia ista: inter quæ esse proporcio
nequit, cum spirituales utilitates temporalibus
debeant anterferri; quandoquidem, & vita ipsa
multoties postponenda est ob salutem alterius
spiritualium, vt est receptissima Theologorum
sententia, ex quo fit proportionaliter esse de aliis
utilitatibus philosophandum, quando inter se
contigerit comparari.

*Assertio 2.
probabile
etiam oppo-
sum.*

208 Dico secundò, venditio talis potest
probabiliter sustineri. Probatur: primo ex eo
rum doctrina, qui censent res indifferentes po-
sse vendi, etiam aliqui abusuri præscientur nul-
la adiecta limitatione; quando scilicet verè in-
differentes sunt, & juxta communem dispo-
sitionem ad malum non ordinatae. Quod præ-
cipue docuit Caietanus 2. 2. Quæst. 10. art. 4. &
alij, quos adducit P. Salas de contractibus Dub.
47. Tractatu de emptione, & venditione. Et Diana
louis ciuitatis, de quo & nos Titulo 1. numer. 144.
citato, & seqq. Ratio congrua esse potest, quia
si in contratu emptionis, & venditionis, qui
omnino necessarij ad coniunctum est humanum,
ad prædictum examen vendentes tenerentur,
discernendi scilicet quis ad bonum, quis ad malum
vsum empturus accedat, molestissimus redi-
deretur, vnde non est credibile ad illud venden-
tes obligari. P. Suarez Disputat. 10. de Charitate
sec. 4. in principio. Duram eorum sententiam vo-
cat, qui res indifferentes vendi posse negant,
malo eorum vñs præviu; stante autem hoc il-
lius judicio, quod est etiam aliorum, vix aliqua
adduci regula potest, iuxta quam debeat id,
quod generaliter licet, in particulari illicitum
judicari. Vnde idem Pater num. 7. ad circum-
stantias id reuocat, seruato ordine charitatis.
Ex quo fit ex se licitam esse venditionem, &
solum ob circumstantias vitari posse: quod
quidem & in rebus ad bonum ex institutione suâ
ordinatis contingere potest, vt si quis Rosari-
um emat, ad hypocrismum, vel vñs dete-
riores.

209 Secundò. Quia Doctores, vt vidimus,

licitam venditionem talem dicunt, quando est
illius proportionata caußam pariter dicunt multi utilitatem
ex venditione secutam; quia sic res propriæ di-
strahunt, alias cum inominando retinenda,
vt videri potest apud eos, quos adducit P. Bau-
ny Lib. 1. de Contrâlibus, Tractatu 2. Quæst. 11.
quibuscum ipse sentit: neque ex eo fit venditio-
nem generaliter licere, cum semper ex venditio-
ne utilitas consequatur. Potest namque com-
munis doctrina cum prædictâ positione consta-
re: quia multoties ex venditione rei, quæ abu-
suro traditur, nulla specialis utilitas fequitur:
vt si talis abusurus accedit emploiem affe-
ctans, & alius simil non abuturus, nequit priori
vendi, si res individua sit; quia ex tali non ven-
ditione nullum patitur detrimentum, quando-
quidem non abusuro vendit. Si autem rerum
copia sit, & abusuro non vendat, jacturam
non venditionis incurrit, ad quod non tenetur,
quia jam pro venditione caußa rationabilis oc-
currit.

*Ratio 2. ex
utilitate
venditionis
respetu
vendem.*

*Ratio 3.
peculiaris
circa sub-
iectum ma-
teriam.*

*Ei satia ob-
iecta.*

E 4

spiritu

Bonum spirituale proximi quod debet tempore proprio perfiri.

D. Paulus explicatus.

D. Iohannes Chrysostomus.

Additio pecularia.

§. X.

De Contractu cum Commendatariis Mercatorum.

*212 C*um Mercatores Indici non possint in Hispaniam commode semper nauigare, vt inde merces asportent, pecunias suas solent alii eò contendibus tradere, vt convenienter implicant & merces emptas adsparent, justo pro labore, & industria preio designato, ad rationem scilicet septem, aut octo pro centum, sive plus, aut minus, iuxta valorem, quem sunt in his partibus habitur. In quo quidem mille exoriri contuleruntur, circa quas nimis quantum soler Consulatus occupari. Vide non est instituti præsens eas persequi, sed non nihil pro conscientia obligacionibus adiecisse. Et certè ad illorum intelligentiam non multa est opus discussione, si homines velint juxta illius certa dictamina operari: vix enim à talibus in dubium aliquod inciditur, quod merè conscientiam attingat, cum satis perspectum habeant quid justitiae leges postulent, & principium illud irrefragabile in eorum sit consideratione defixum: non debere quemquam alteri facere, quod sibi non vellit ab eo fieri. Videant ergo isti si pecunias suas alii proximis functione committerent, quomodo eas administrandas vellent, & reprehendent statim debere se illas vt proprias curare: quæ emunt non debere, quia meliora sunt, reseruare sibi, minus bona Commendanti reseruando: quæ sibi empta, non esse minus seculo committenda nauigio, aut tardius ad portum perueniendum: erga eadem non esse sumptus inæqualiter faciendo, vt maioribus quæ aliena sunt, constet propria minoribus; & sic de aliis. Quod ergo opus sit pro huiusmodi quæstiones prolixius agitare, vbi iudex est in quoquoque causam justissime dirempturus? vt tamen nonnulla amplius elucescant,

213 Dico primò. Si Commendatarius non inueniens eas merces, quas in mandatis haber, alias emat, quibus Commendans solebat negotiari, nihil contra iustitiam facit, & Commendans tenetur eas admittere, & sumptus circa illas verosimiles habere ratos. Quod si alias emat, in quibus non solitus negotiari, non tenetur eas admittere, eti pereant etiam casu fortuito, Commendatario pereunt, qui tenetur Commendanti plene satisfacere. Sic habetur L. 33. Titul. 12. Part. 3. Vbi Gregorius Lopez, ex quo Hevia in labiryntho Cap. 4. num. 24. Si tamen eodem modo peritura merces illæ, quas debet pereant merces.

contractu

De Commendatariis Mercatorum.

*In contra-
ctu delin-
quens ut
teneatur
de fortu-
ris.*

2. Diffut. 43. num. 75. Quod intelligendum cum limitatione adducta, quando scilicet res non erat utiliter peritura: quod quidem in casu nostro contingit, & hoc etiam est juxta mentem eorum, quos pro Assertione citavimus, dum dicunt Commendatarii teneri de casu fortuito; quando aliter emit, quam debuit, dictam limitationem addentes, nam illius generalis Assertionis, & eius, quam nos possumus, eadem ratio est, quod scilicet noti essent peritura pecunia illæ, siue statu mutato, dum merces in eius locum successerent, siue statum pecunie retinente, quod ad casus substantiam nihil praefat.

*214 Dico secundo. Quando commendatarius non inuenient merces à commendante designatas, non solum potest alias extire, inquisibus ille negotiari soleat, sed in conscientia tenetur. Probatur: quia sic est voluntas Mercatorum, qui numquam pecuniam habere volunt otiosam. Et certè videat oportet commendatarius id, quod paulo superius dicebamus, quid scilicet vellet ipse à commendatario fieri, si illi suas pecunias commendas. Quis enim dubitet earum implicationem vitem volitum? Vnde ergo, & tu fatimiliter. Quod & in casu precedenti applicandum. Habet autem Assertionis suos etiam defensores, qui communiter affirmant mandatum extendi ad similem casum, in quo est paritas rationis. Et multò potius, si eadem; vt videri potest apud eos, quos adducit P. Ofiate *súprā Diff. 44. num. 93.* & similiter apud complures alios, quos congerit D. Solorzana Tom. 2. Libr. 2. Cap. 4. num. 58. & seqq. afferentes mandatum, quamvis strictè consideretur, posse per æquipollens adimpleri, & verosimilem mandantis voluntatem sequendo, dum mandatarius ea facit, ordinat, & exequitur, quæ mandans, si præsens esset, exqueretur, & idem esse de mandato, ac de illis, quæ mandato vicina sunt. Quæ quidem non solum facultatem mandatarii ostendunt, sed etiam obligationem: nam si potest, tenetur; potest enim virtute mandati, mandatum autem obligationem inducit, cum sit contractus, vt communiter Doctores tradunt, vnde & obligationem parit, quia alii inutilis redderetur, quod in præsenti habet speciale rationem, quandoquidem, vt diximus, Mercatores nolunt pecunias suas haberi à commendatariis otiosas, cum & ipsi apud se illas otiosas esse, si lucri occasio affulget, minime patiantur.*

215 Dico tertio: si merces quidem supperant, sed non in ea quantitate, quæ sufficiat iuxta desiderium Commendantis, & Commendatarij non potest Commendatarius illas omnes suo nomine emere, sed debet cōmodā distributione vti, & alias tutus in conscientia non erit, & obligatio restitutio incūber. Probatur: quia cū hoc onere commendationem assumpsit: obligatus enim se ad emendas tales merces, si extarent: atque extant, licet non in ea copia, vt triique sufficiant; ergo debet partia, vt dicitur, differentia obligacioni satisfacere. Si dicas nō ita se obligasse, vt censendus sit causam suam facere deteriorē, & se priuare facultate prius sibi consulendi. Id potest facile refutari; quia licet ex eā parte causam suam deteriorē aliquo modo facere videatur, re tamen verā absolute loquendo negotium agit suum: dum enim copiam pecunia adducit ex commendatariis comparatam; commodiū emit, & creditum auget, ac præterea ex iis ipsis mercibus, quas Commendanti emit, lucrum est proportionatum habiturus: quia omnia satis ostendunt causam Commendatarii absolutē non fieri deteriorē. Vbi & inculcanda adducta regula, vt scilicet talis consideret, quid sibi à Commendatario faciendum vellet, si ipse pecunias commendæ nomine tribuisset.

Affir. 4. Non debere sibi meliora assumere.

216 Dico quartò: si Commendatarius non habeat in mandatis vt speciales merces asportent, & ille suā, & Commendantis pecunia indiscernabiliter emat, non potest meliora genera sibi postea applicare, alius Commendanti reseruatis. Huius probatio ex eadem irrefragabili regulā desumenda, & præterea: quia hæc videtur esse sic contractantium mens, neque illius pecunias suas aliter traderet: hoc enim pacto non solum Mercatorum facultates minuerentur, sed & creditum vacillaret, dum apud eos merces tantum vberiores inueniuntur. Nec dici potest eos ita esse debere contentos, quandoquidem domi sui quieti resident, cū tamē Commendatarij magnis periculis exponantur: nam quidquid laboris in commendatariis est, iusto præmio compensatur, iuxta communem estimationem, vnde supra illud, non debent alius sibi assumere meliorum mercium electio. Non videtur tamē in hoc arithmeticā vitudine necessariō proportione; & si Commendatarius curiosa aliqua, & suo speciatim gustui accommodata emat, velle in illis Commendantes partem habere; aliquantulum enim est Commendatiorum laboribus, & periculis indulgendum. Vnde si circa hoc bonā fidē agant, non videntur ad restitutionem aliquam obligandi.

217 Dico quintò. Si dubium incidat circa administrationem, in modo scilicet emptionis in remissione, aut asportatione mercium, ex quibus damnum aliquod Commendanti subsecutum, pro Commendatario esse favorabiliter iudicandum: tenent Socinus & Decius Genuefis, apud Heviā Cap. 4. tit. 25. qui idem tenet; sed hoc in foro externo procedit; quoad internum enim conscientia Commendatarij conuenientia est; & si coram Deo non inueniat gravem culpam a se in negotiatione commissam, ad nihil se teneri potest sibi probabiliter persuadere. Si ergo ipse dubitet, pro eo stat posse, & regulā receptissimā se tueri potest de meliori possidentis in dubio conditione. Pro quo est sententia Scriptorum, quos nuper adduximus, qui dicunt absolute non esse contra Commendatarij iudicandum, quod saltem in foro exteriori accipendum est: non ex eo quidē verē possideatur aliquid, de quo dubitetur, an sit restituendum, sed ex possessione latius sumptū iuris, aut libertatis: ergo similiter potest quis pro se in dubio tali iudicare, qui in tali possessione est; quia vt est communis Doctorum sententia, forū conscientia adquandū est foro externo, quando huius dispositiones non fundantur in presumptione; quod in casu præsenti contingit.